

Exhinc in aliquam crevit *Tractatus de fide* partem vel appendicem (1). Suum denique habuit peculiarem *Tractatum de Ecclesiâ Christi*, accurantibus speciatim non paucis è Sorbonicis nostris, inter quos **Duhamel**, **Tournely**, **Regnier**, **la Hogue**, etc., etc. — Dolendum sanè quòd ii multipliciter cæteroquin commendabiles auctores gallicanismo infici se siverint, et illum, etsi sub formâ moderatori, suis ut plerùmque inseruerint operibus (2).

Iste tamen intereà gallicanismus ecclesiasticus impugnabatur historicè simul ac theologicè à theologis romanis **Orsi** et **Ballerini** (3). — Similiter et gallicanismus ille provecior qui in Multitudinismum ac Cæsarium pretendens jam à Jansenistis nostris in Germaniam et Italiam, faventibus Principibus, transierat, suos iterùm apud Romanos et quidem doctissimos invenit adversarios, **Zaccariam**, **Bianchi**, **Gerdil** (4). — In fine demùm sæculi, videre fuit varias Gallicanismi pro-

(1) Ita **Billuart**; **P. Antoine**; *Theol. Pictav.*; etc.

(2) Non easdem attenuaciones admiserim pro auctore nimis favorabiliter à quibusdam habito, Dr^e La Chambre, qui, in suo op. gallico: *Traité de l'Eglise de Jésus-Christ* (3 vol.), et *Continuation* (3 vol., in XII dissertat.), è Quatuor Articulis ubique proficiscitur tanquam è primis, ut ita dicam, principiis, et gravissimos aliunde ac perniciosissimos intermiscet errores, ipsis etiam Gallicanis iudiciis, ita ut La Luzerne de eo dicat: « Il paraît n'avoir écrit son *Traité de l'Eglise* que pour défendre les erreurs du XVII^e siècle » (etiam quum eas adoriri videtur). V. La Luzerne: *Dissert. sur les dr. et les dev. des évêques*, p. 1424.

(3) Orsi: *De irreformabili Rom. Pontificis in definiendis fidei contro. iudicio*; — Ballerini: *De vi ac ratione primatis Rom. Pontificis, cum Appendice de infallibilitate pontificiâ*; item: *De potestate SS. Pontificum et Conciliorum generalium* (quæ omnia invenire est ap. Migne, *Theol.* t. III). — Iis adjungere est quoque, è **S. Ligorio**, *Dissertationem de Rom. Pontificis auctoritate*, insertam in ejusdem *Tr. de legibus*, c. 1. (Monendum autem est quòd S. Doctor non semper testimoniorum suorum satis exploraverit authenticitatem aut ea ad litteram citaverit).

(4) Zaccaria: *L'Antifebronio* (italicè, sed gallicè translatum à D. Peltier); item *Antifebronius vindicatus* (latinè) ap. Migne, *Theol.*, t. XXVII; — Bianchi: *Della potestà et della politica della Chiesa contra Petr. Giannone*, cujus 1^a pars ab eodem D. Peltier gallicè translata est: *Tr. de la Puiss. eccl.* (2 vol., Gaume). — Card. Gerdil, *Opp.* TT. XI-XV, passim.

pagines suos ultimos apud nos producere fructus, scilicet, Gallicanismum multitudinistam in schismate *constitucionalis*, Gallicanismum episcopalistam in schismate *Anti-concordatario*, Gallicanismum denique cæsaristam in tentaminibus nunc astutis, nunc violentis prioris Imperii; atque inde nostris ad se reversis et reditum, ut ita dicam, ad romanam veritatem parantibus theologi romani ultrò pro suâ parte dextram porrexere, per scripta nempe moderatione æquè ac veritate commendabilia. Ita **Muzzarelli**, **Litta**, **Gregorius XVI** (1). — Nec pauci è nostris in idipsum ardentè allaboraverunt, inter quos imprimis memorare est virum permagni profectò ingenii, etsi non theologum et præfractè ac paradoxè nonnunquam loquentem, **Jos. de Maistre** (2). — Quomodo extunc causa veritatis et unitatis per varios hinc et inde motus eluctata sit usque ad S. S. Concilium Vaticanum, V. indicatum in fine *Appendicis IV^e*, infra, p. 374.

V. — Dum autem Catholici, post tria dissidiorum sæcula, ita in unanimatem properarent et quæstio de *constitutione* Auctoritatis ecclesiasticæ tandem absolveretur, altera quæ de ipsâ hujus Auctoritatis *existentiâ* quæstio est, magis ac magis apertè ponebatur, quum Protestantés in apertiore devenirent negationem omnis sive dogmatis sive saltem ecclesiasticæ institutionis (V. infra, p. 12 in fine *notæ*); aut ii certè qui divinam aliquam hujusmodi institutionem retinere volebant, magis ac magis convincebantur contradictionis, et in Catholicismum, vellent, nollent, impellebantur. Ita quidam primùm apud Germanos (3), maxime autem dein apud Anglos (V. infra p. 298). — Inde non parva apud Catholicos æmulatio tum ut Protestantismum confutarent *ex absurdis*, ostendendo nimirum quasnam in consequen-

(1) Muzzarelli: *Varia Opuscula*, et opus posthumum: *De auctoritate R. Pontificis in Concil. gener.*; — Card. Litta: *Lettres sur les Quatre Articles*; — Greg. XVI (Maur. Capellari): *Triomphe du S. Siège et de l'Eglise*; ap. Migne, *Dém. évang.*, t. XVI.

(2) *Du Pape; de l'Eglise gallicane.*

(3) His tamen annumerari nollem, uti aliquando fit, J. A. de Starck, auctorem operis aliunde notabilis: *Le banquet de Théodule, ou entretiens sur la réunion des différentes communions chrétiennes*; — quippe qui Protestantismum, quem abjuraverat, non nisi recordiâ et inhonestâ prorsus dissimulatione retinuisse videtur (Cfr in eum artic. à D. Pictot, ap. *Biographie univ.*, t. XLIII).

tias deducatur sive logicè sive moraliter (1), et historicè confirmando (2) — tum ut redeuntibus indicarent portum, per demonstrationem catholicæ veritatis. — Ad primum præsertim finem spectat **Mœhler**: *La Symbolique*, ubi ostendit Protestantismi non modò *variationes*, ut olim Bossuetius, quod certè Protestantes hodiernos parùm moveret (V. infrà, p. 42), sed et inconsequentias et absurditates, ac demùm (*Défense de la Symbolique*) omnis inde Christianismi eversionem (3). — Huic etiam fini simul ac sequenti incumbit **Milner**, Anglus: *Fin de la controverse religieuse*, (ap. Migne, *Dém. evang.*

(1) Hic autem cavendum est ab excessu in quem incidit schola Mene-
siana, quæ nempe simplicissimam quamdam Ecclesiæ demonstrationem ex-
cogitasse sese credidit aut saltem renovasse (cfr suprà p. ix not. 2; et
V., ex. gr., D. Gerbet: *Des doctrines philosophiques sur la certitude
dans leurs rapports avec les fondements de la Théologie*, 1826), dum
nihil omninò certum teneri vellet nisi è testimonio maximæ auctoritatis,
quæ est Ecclesia catholica (cfr infrà p. 277), atque hinc, — independenter
etiam à promissionibus quas Ecclesia à Christo se accepisse testatur, —
ipsam infallibilem absolutè et sine conditione necessariò habendam esse
inferret. — Quod systema à Gregorio PP. XVI *improbatur* est utpote
systema fallax, « quo, ex projectâ et effrenatâ novitatum cupiditate,
» veritas, ubi certò consistit, non quæritur, sanctisque et Apostolicis tra-
» ditionibus posthabitis, doctrinæ aliæ inanes, futiles incertæque nec ab
» Ecclesiâ probatæ adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac susti-
» neri vanissimi homines perperam arbitrantur » (Encycl. *Singulari...*
15 Aug. 1834; quam V. ap. *Ami de la Religion*, t. LXXX, p. 513).

(2) Unde huc præsertim, præter opera propriè theologica, multùm pro-
fectò contulerunt opera historica, qualia, v. g., apud nos, Di **Audin**:
Hist. de Luther, de Calvin, de Henri VIII, etc.; — opp. item **Döllin-
ger** (quum adhuc catholicè sentiret): *La réforme, son développement
intérieur*, etc.; — **Hœninghaus**: *Retour à l'unité catholique par
le protestantisme, ou la réforme contre la réforme*; — **Balmès**:
*Le protestantisme comparé au catholicisme dans ses rapports avec la
civilisation européenne*; quem præcipuè commendamus, et cui, per mo-
dum complementi adjungi potest **D. Martin**: *De l'avenir du Protes-
tantisme*.

(3) Non autem adeò laudabiliter loqueremur de quâdam *Historiâ Eccle-
siæ* sub nómine Mœhler publicatæ à quibusdam (ut se ferunt) ejus disci-
pulis, sed profectò spiritu satis alieno, in quantum è translatione gallicâ
dijudicare est. V., v. g., ad hunc spiritum æstimandum, t. I, p. 414;
t. II, p. 450, 578; t. III, p. 252, 272, 324.

t. XVII); — item et recentius **P. Perrone** in op. italicè conscripto
sed gallicè translato: *Le Protestantisme et la Règle de foi*. — Ad
alterum verò finem, idest, ad ipsam demonstrationem catholicam, po-
tissimùm operam contulit Card. **Wiseman**: *Conférences* (ap.
Migne, *Dém. Evang.* t. XV), soliditate, simplicitate ac luciditate pro-
fectò præstantissimus. — Cui utilissimè adjungi possunt varia opera
tum Em^{mi} hodie Card. **Manning**, tum R. P. **Newman**, passim in
decursu hujusce Tractatûs indicanda; — item et Tractatus scholasti-
cus de *Ecclesiâ Christi*, R. D. Patritii **Murray**, qui patristicâ præ-
sertim eruditione et criticâ insignis est.

II

DE RATIONE NOVI HUIUSCE TRACTATUS.

Ex dictis jam colligere est quisnam fuerit huc usque logicæ profec-
tus in duplici simul controversiâ è quâ totus exstitit Ecclesiæ Tracta-
tus, — una videlicet quæ cum variis Hæreticis, imò et cum quibus-
dam Catholicis inconsequentibus fuit, circa Auctoritatis ecclesiasticæ
sedem atque ideò Ecclesiæ constitutionem, — altera quæ cum Protestan-
tibus est, circa illam ipsam Auctoritatem et consequenter circa ipsam
Societatis ecclesiasticæ existentiam.

I. — Ut nempe ab hâc posteriore incipiamus controversiâ, quæ ma-
gis ad radicem fertur, is fuit in eâ logicæ profectus ut plerique Protes-
tantium, post aliquas tergiversationes, jam cogentur redire ad prin-
cipium suum, et asserere nullam à Christo constitutam esse auctoritatem
ac societatem (V. infrà, p. 12, not.); imò et quia absque tali institu-
tione vix fieri potest ut doctrina tantillùm conservetur, multi inde
asseruère nullam ex intentione Christi doctrinam necessariam esse
ac conservandam, et totum Christianismum in vagum quemdam
religiositatis et charitatis sensum evanescere fecerunt (V. p. 41
et ss.).

Igitur, ut videre est, Catholicismus et Protestantismus ultimatò re-
solvuntur in duos Ecclesiam ipsamque Religionem concipiendi modos
ab invicem toto cœlo distantes; neque quid in controversiâ cum Pro-
testante hujusmodi proficies, nisi ipsi novam, ut ita dicam, instillave-
ris Religionis ideam, aut saltem Auctoritatis religiosæ necessitatem
persentiri feceris, ut inde positiva de illius Auctoritatis existentia ar-

gumenta rectè intelligere possit (1). Hæc autem admissa, tota facilè deducetur vera Ecclesiæ notio, imò et tota ejus Constitutio: quo facto, jam per *notas* externas inde sponte fluentes, uno quasi in mundum prospectu, ubinam illa sit, statim dignoscetur.

Ex iis porrò quædam adnotare est consecraria, tum quoad generalem Tractatûs œconomiam, tum quoad probationum quarundam naturam et dispositionem.

II. — Plerique nimirum Auctorum totam ferè demonstrationem veræ Ecclesiæ incipiunt ab assignando externas illius *Notas*, ut inde statim dijudicent quænam inter varias christiani nominis communiones sit vera Ecclesia Christi: hæc autem inventâ, ipsius *Auctoritatem* supremam infallibilemque adstruunt, ac demùm ipsius etiam *Constitutionem*. Porrò methodus hæc, quantumvis primo aspectu logica videatur, non parvis in praxi difficultatibus offendit, et necessariis implicatur principii petitionibus. Primò enim *Ecclesiam* à Christo institutam esse supponis, et hanc infers è quibusdam Scripturæ et Traditionis expressionibus esse necessariò *unam, sanctam, catholicam et apostolicam*. Quæ omnia minimè negari posse confidis, et ea reapse ab adversariis admitti videntur, — sed longè alio sensu. Ecclesia enim universa, ad sensum Protestantium quotquot sibi consequentium, non est *societas*, neque ullius functionis in communi obeundæ capax est (cfr Jurieu infrà cit. p. 297); sed est mera collectio hominum qui quidem Religionem plûs minùsve eandem profitentur, nulla verò communi auctoritate diriguntur. Ejus *unitas* non, uti contendis, in uno communi magisterio ac regimine consistit, sed in fortuitâ consensione circa quosdam articulos nullâ cæteroquin auctoritate determinabiles; item et ejus *apostolicitas*, in quâdam, ut putant, similitudine

(1) Hinc statim observare est multò minorem, cum talibus adversariis, fructum esse posse *publicarum disputationum*. Quæ nempe etsi nunquam sine inconvenientibus sint; — nec enim, fateor, libens cernerem earum quas et menti et cordi præcipuas habeo, convictionum fortunam apud vulgus et honorem ita fortuitis committi disputationis publicæ casibus; — tunc forsân adhuc ad clarum certumque exitum perducî poterant quum certa fixaque principia essent utrisque antagonistis communiâ, è quibus tantùm consequentias deducere erat et comparare. Ita, v. g., contingeat tempore S. Francisci Salesii, qui tamen, licèt in iis toties victor, privatas communicationes æstimabat multò utiliores (V. in ejus *Vitâ*, à D. Hamon, t. I, p. 186). Ita forsân hodie dum contingere posset, ni alia ob-

doctrinæ cum Apostolis, aut, juxta quosdam, in successione *Ordinationis* ab Apostolis usque transmissæ, non autem in continuâ *missionis* et consensione ullius Auctoritatis supremæ: hinc *sanctitas* et *catholicitas* planè etiam indeterminabiles (V. infrà p. 310). — Porro ad confutandas omnes istas falsas notiones, et ad nostras, loco earum, stabiendas, unum est necessarium: scilicet, ut priùs ostenderis existere in Ecclesiâ *Auctoritatem* supremam, imò et *infallibilem*, ita ut præcidendæ unitatis nulla esse possit ratio (cfr S. August. infrà cit., p. 140); si enim unquam eam falli contingeret in decisionibus suis supremis, jam tunc à nemine ipsi obediendum esset, et societas dissolvi deberet; nec igitur Ecclesia esset essentialiter ac perpetuò *societas*, nec essentialiter ac perpetuò *una et apostolica*.

Et illud quidem apprimè senserant nostri veteres Controversistæ, sicut in § præced. observavimus: qui nempe omnes thesim de Auctoritatis infallibilis existentia in capite suarum Controversiarum præmittere solent, aut saltem in demonstratione notarum intarserere. Paulatim verò non pauci auctores, uti diximus, thesim illam in 2^{dam} Partem remiserunt, post notarum veræ Ecclesiæ Christi determinationem et applicationem; quod sanè non sine aliquâ petitione principii fieri poterat. Quidam exinde, uti recentis Theologiæ Tolosanæ doctiss. auctor, eandem thesim in demonstratione 1^æ notæ, *Unitatis* scilicet, sapienter reposuerunt. Nos satius adhuc judicavimus, illam ante omnia, in 1^o scilicet 1^æ Partis Capite, ponere et evolvere, item et de ejusdem Auctoritatis sede (quod nempe necessarium est ad completè exponendam Ecclesiæ unitatem et apostolicitatem) statim et è continuo disserere, in 2^{do} videlicet ejusdem Partis Capite; — quod

starent, cum iis Protestantibus inconsequentibus qui ad Catholicismum ferè accedunt. Ex quo autem plerique Protestantium, ut hoc ipsum inconsequentia vituperium effugerent, ita retrocessè ut nulla ferè nobiscum communiâ servaverint, tota penè cum eis res versatur non circa consequentias sed circa principia, quæ non tam è dialecticâ pendent quam è rectâ mentis apprehensione ideòque imprimis, ut mox dicitur, è rectâ cordis dispositione. Porro tum dispositio cordis, tum rectitudo mentis, non è momento mutari vel acquiri natæ sunt; ideòque non disputatione lis terminari videtur, dum uterque, in finem, suam invocat evidentiam. Interminatâ autem disputatione, victoria aut nulla est, aut incerta, aut par incertæ (Tertull. *Præscript.*, XIX), et multi auditorum nonnisi dubium reportant.

inde, ob controversias novissimorum annorum, ferè ultra modum crevit (1).

III. — Totus igitur de Ecclesiâ Tractatus in thesi de existentia Auctoritatis infallibilis logicè fundatur, totus in evolvendis hujus Auctoritatis sede, exercitio, efficaciâ, consistit; et ideò, quemadmodum Tractatus de Verâ Religione, æquè potuisset inscribi *Tractatus de Revelatione*, ita et Tractatus de Ecclesiâ inscribi posset *Tractatus de Auctoritate* in materiâ Religionis (2).

(1) Primum nobis in proposito fuerat ea sola sic præmittere quæ ad determinandum Ecclesiæ naturam et notas necessaria sunt, ita ut reliqua quæ ad constitutionem Ecclesiæ et exercitium illius Auctoritatis attinent, venirent tantum post inventam Ecclesiam catholico-romanam et pro verâ ac divinâ agnitam. Sic enim jam hujus Auctoritate tanquam argumento decretorio uti possemus in iis probandis. Quum autem nobis compertum fuit cuncta quæ attinent ad Ecclesiæ constitutionem et ipsius Auctoritatis exercitium, è præmissis quàm facillimè et uno quasi tenore fluere, maluimus illa omnia non à principiis suis præscindere, ut omnis Ecclesiæ ædificatio uno conspectu et quasi à priori constructa cresceret: inde enim ea omnia fiunt veluti totidem notæ aut complementa notarum, quæ postea etiam in Ecclesiâ catholico-romanâ realiter verificata inveniunt. Neque tamen intereâ hujusce nostræ Ecclesiæ decisiones nobis inutiles fiunt. Eas enim vel in 1^a parte referimus, nondum quidem tanquam auctoritates per se peremptorias (nondum enim Ecclesiam catholico-romanam ipsam esse veram Christi Ecclesiam logicè conclusum est), sed tanquam expressiones authenticas fidei Catholicorum et formulas reapse mirum in modum aptatas ad ea exprimenda quæ cæteroquin è principiis constitutivis Ecclesiæ Christi evidenter fluere demonstramus (V. ex. gr., pp. 138 et 170). — Postea autem, ubi Ecclesia catholico-romana agnita fuerit reapse pro verâ atque divinâ, illa omnia jam non modò vi connexionis logicæ cum principiis, sed et vi auctoritatis hujus Ecclesiæ infallibilis, nos obligare eo ipso reverâ patebit.

Ex hac autem methodo quum acciderit ut quo magis notio Ecclesiæ evolveretur, eò facilius fieret illius inventio, inde etiam quantò plus Pars 1^a hujusce tractatus crevit, tanto Pars 2^a brevior evasit (etsi in eam *notas* è 1^a Parte recolligendas remisimus); — dum, è ratione inversâ, in *Tr. de Verâ Religione*, Pars 1^a in quâ Revelationis notio satis simplex exponebatur, multò brevior exstiterat quàm Pars 2^a in quâ talis Revelatio inter varias mundi Religiones erat inveniendâ.

(2) Quin et cl. P. Perrone alicui ven. hodiè Antistiti, à quo id ipsi accepimus, fatebatur se suum *de Ecclesiâ Christi* tractatum in *Locis theo-*

Verum, ut hæc præsertim adeò fundamentalis thesis de existentia Auctoritatis infallibilis mentibus adversariorum accepta fiat, argumentatio non sufficit. Quod enim pluriès in *Tr. de Verâ Religione* innuimus circa probationes è miraculis, hic etiam repetere juvat circa probationes è textibus: Deum, scilicet, ita suarum probationum evidentiam attemperasse ut non absque quâdam cordis dispositione percipi queat, et sic fides et meriti et præmii rationem habeat. Et certè principium est ab omnibus admissum Scripturam obvio ac litterali sensu accipiendam esse *nisi* aliquam sermonis figuram admittendam suadeat ipsa Scriptura aut Traditio *vel ratio evidens*: cujusmodi habetur, v. g., in interpretando hoc textu: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te... Si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam et projice abs te* (Matth., V, 29, 30): hic enim sensum litteralem exhorret rectus naturæ sensus. Atqui sunt homines quibus è superbiâ quâdam præconceptâ et per educationem confirmatâ, uti fit apud multos Protestantes, auctoritatis alicujus doctrinalis, in materiâ religionis, jugum subire non minùs horribile apparet quàm oculum eruere vel manum abscindere et projicere. Hi ergo quamdiu ita dispositi manebunt, rationem habere se credent evidentem ut nostros omnes textus in figuras sermonis detorqueant. Quid igitur? Illos priùs necesse est ad veriorem conscientiam necessitatum naturæ humanæ reducere, tum imprimis humilitatem et orationem suadendo (1), tum etiam talis Auctoritatis convenientiam, utilitatem, necessitatem benignè et patienter ostendendo; ideoque maximi Theologi (V. p. 22 *not.*) talem priùs ostensionem suis de divinâ Auctoritatis institutione demonstrationibus præmittere non recusarunt: — quod et nos in hac thesi facere intendimus, et utiliter, in praxi, pro aliis etiam thesibus, concionatores ex se facere poterunt.

logicis, non prout voluisset, disposuisse, nec nisi ad morem tritæ consuetudini gerendum, incepisse à *notis*, quum, aiebat, totum hodie situm sit in questione de *Auctoritate*.

(1) V. Fénelon: *Lettres sur l'Autor. de l'Egl.*, post *Tr. du Minist. des Pasteurs*. — Atque huc conferre est ea quæ nobilis quædam è Protestantibus femina se audivisse refert à SS. Pio Papâ IX, quocum temerè disputare præsumperat: « Laissez-moi vous dire quelque chose (inquit Papa): » priez ! priez pour que le Seigneur vous éclaire de sa lumière, priez pour » qu'il vous fasse la grâce de reconnaître la vérité; car c'est le seul moyen » d'y arriver. La controverse ne produira jamais rien de bon. Dans la con-

Posteà autem, rectè dispositis multùm certè proderit varia Scripturarum documenta non separatim expendere sed invicem conferre, ita ut vera eorum doctrina non per analysim philologicam tantùm, sed etiam, et præcipuè, per hoc quod S. Paulus vocat τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως (Rom. XII, 6, in gr.). — Item et maximè præsertim proderit Scripturas non absque Traditione interpretari, quæ (seclusâ etiam divinâ illâ de quâ adhuc inquiritur, assistentiâ) naturaliter haberi debet ut quàm maximè authenticus Scripturæ interpres, imò et supplementum (V. p. 5, n. 5 et ss.). Quamobrem quoque curavimus ut non unum modò vel alterum, sicuti sæpe fit, exile aut incertum fragmentum Traditionis, sed plurima et accuratè revisa documenta apponerentur vel indicarentur.

IV. — Huc usque de Controversiâ cum Protestantibus. Quoad autem alteram Controversiam, quæ circa Auctoritatis sedem et Ecclesiæ constitutionem, non modò cum Hæreticis sed etiam cum Catholicis inconsequentibus diu viguit, is in eâ logicæ profectus fuit ut magis ac magis evidens fieret Ecclesiam esse è jure divino monarchiam quæ tota in unione tum quoad fidem tum quoad praxim cum successore Petri subsistit; ac demùm innumeras et sæculares disputationes S. S. Concilium Vaticanum, cui non mediocres vel hâc de re gratias, suis definitionibus evacuavit. — Quæ autem supersunt quæstiones, pauca quidem et ad mentis satisfactionem sæpe magis quam ad praxis necessitatem spectantes (v. g., circa majoris minorisve numeri Episcoporum indefectibilitatem, circa veritatum definibilium extensionem et evolutionem, etc., etc.), jam eo ipso pacatiori et attentiori animo tractari poterunt; quod et nos, pro modulo nostro, facere satagemus; sicut et quædam quæ non directè quidem ad Tractatum de Ecclesiâ

» troverse parlent l'orgueil et l'amour propre. Les personnes qui ont reçu cours à la controverse, font parade de leur savoir, de leur esprit subtil, » et, en définitive, chacun conserve sa manière de voir. La prière seule » donne la force et la lumière nécessaires pour acquérir la grâce et la vérité. » rité. Priez tous les jours, priez chaque soir avant que le sommeil ne » ferme vos yeux; et j'espère que la grâce et la lumière vous seront accordées; car Dieu nous commande de nous humilier nous-mêmes, et c'est » aux humbles qu'il donne sa grâce. — Maintenant, que Dieu vous bénisse » et vous conserve dans le temps et dans l'éternité! » (Frédérique Bremer : *Voyage en Suisse et en Italie*, cit. ap. *le Correspondant*, juillet 1866, p. 703).

pertinent, sed cum eo tamen satis proximè connectuntur, in *Appendicibus* tractari vel saltem exponi curavimus. Nec enim eas etiam quæ parùm tractari solent quæstiones vitare satius nobis visum est, sed potius ipsas simpliciter exponere, et solutiones, si quæ se dederint, proponere, quas cæteroquin judicio doctiorum, maximè verò auctoritatem in Ecclesiâ habentium humiliter ac filialiter submittimus.

POST SCRIPTUM

in hanc novam editionem.

Quidquid hic immutatum vel additum est, eadem prorsus mente et ratione quam in *Tr. de Verd Religione* exposuimus (*Præfat.* p. xxx). — Neque in Tractatu tantùm, sed et in *Appendicibus* specialem impendimus curam tum ut errorum nuper extinctorum historia ex toto delineatur (V. Append. IV^{am} : *De Gallicanismi ecclesiastici historiâ* etc.), tum præsertim ut quæstionum, ut aiunt, maximè *actualium* expositio et, pro posse nostro, solutio indicaretur. Hinc Appendices III et XII quas in *Tr. de Verd Religione* (p. 132), promiseramus. Quibus si adjungas ea quæ in præsentî Tractatu habentur, n. 70, p. 254-266, jam, ut putamus, principia theologicæ solutionis habebis ad tres quæstiones *juris publici* quæ hodie animos maximè commovent.

MONITUM

Circa auctores legendos.

(Cfr dicta ap. Tractatum de Verâ Religione, p. xxxii).

Proponimus, præ cæteris :

In quaestionibus principalibus : **Wiseman** : *Conférences sur l'Eglise catholique* : 1^{re} Partie.

In quaestionibus accessoriis : **Balmès** : *Le Protestantisme comparé au Catholicisme dans ses rapports avec la civilisation européenne*.

ERRATA

PRIUS CORRIGENDA :

Pag. 25, lin. 8 et 9, *consequentia*... : lege *consequentias*.

Pag. 28, lin. 5, *digitur*... : lege *igitur*.

Pap. 99, lin. 24, *fuerit*... : lege *fuerint*.

Pag. 110, lin. 14, *singularitem*... : lege *singularitatem*.

Pag. 138, lin. 13 et 14, *defnit*,... *promissam*;... : lege *defnit*;... *promissam*,...

Pag. 142, lin. 14, *permanentur*... : lege *permanenter*.

Pag. 149, lin. 5 et 7, *cribare*... *triticum*... *fundamenti*... : lege *cribrare*... *triticum*... *fundamenti*.

Pag. 171, lin. 1, et pag. 175, lin. 9, *cujusque*... : lege *cujuscumque*.

Pag. 226, in notâ, lin. 6 et 7, ... 1852... 1685... : lege 1682,... 1865.

Pag. 358, in notâ, lin. 13 *dele punctum ante* Joannes Parisiensis.

Cætera quæ exciderunt, quisque facilè, è momento, dispiciet ac corriget.